

5. Altera secundi hujus Canonis pars illos a fidelium societate disjungit, qui cum excommunicatis participant. Cui consonat Apostolorum canon 10. necnon Carthaginensis Concilii secundi can. 8. ut Episcopus, aut Clericus, qui excommunicatum alterius Episcopi susceperit, habeatur excommunicatus. Insuper quarti Carthaginensis Concilii can. 73. sic edicit: *Qui communicaverit vel onaverit cum excommunicato, sive Clericus, sive laicus, excommunicetur.* Denique posteriorum temporum mitior ac indulgentior disciplina poenam istam ex aequitate lenivit. Primum, ut non equalis, sed minor incurratur excommunicatio ab hominibus cum excommunicato participantibus, quae nec ab Ecclesia suffragis, neque a consorcio fidelium, nec a conferendis alteri cuiusque Sacramentis excludit; a sola Sacramenti receptione, cap. cum excommunicato, 11. q. 3. & cap. nuper de sententia excommuni. Plura circa haec requirunt inferius ad can. 3. Lateranensis sub Innocentio II. Concilii. Secunda deinde successit ex Constantiensi Concilio mitigatio, ut excommunicationi etiam minori locus sit nullus, nisi excommunicatus, quo cum aliquis participat, fuerit publice atque nominatim denunciatus.

6. Can. III. *Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omnino quilibet de Clero, desertus sua Ecclesia in aliam abierit, & in ea diutius commoretur, ne amplius ministret; maxime si suus Episcopus vocet. Quod si in hac tractata, seu pervertitate persistat, deponatur. Si vero propter culpam istam depositum Clericum alius Episcopus susceperit, ille quoque a Synodo communi redarguatur, tamquam Ecclesiastica jura dissolvens.*

Habetur in decreto cap. si quis Presbyter vel Diaconus 7. q. 1. & confirmatur Apostolorum Canonibus 15. & 16. & Arelat. Concilii I. can. 21. & Nicenis canonibus 15. & 16. Vide superius annotata ad Nicenum c. 15. Praeterea quoque Chalcedonensem can. 20. & Aquilgranensem can. 71. huc etiam refert Nicenum can. 5. Antiochenum 2.

7. Can. IV. *Si quis Episcopus damnatus a Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus a suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, sive Episcopus juxta precedentem consuetudinem, sive Presbyter, aut Diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis; sed & communicantes ei omnes de Ecclesia abjici oportet, & maxime si postquam didicerint adversum memoratos prolatam sententiam fuisse, eisdem communicare tentaverint.*

Hanc poenam meretur Clericus quicumque Superioris censuram adversum se latam per contumaciam violaverit, cum liceret ei vel Praelato supplicare, aut appellationem ad superius tribunal interdicere. Potest tamen pia mater Ecclesia poenitentiam adhuc in integrum restituere, atque ab hujus Canonis severitate dispensare, si humiliter suum reatum agnoscat. Habetur apud Gratianum cap. si quis Episcopus, 11. q. 3. Vide paulo infra can. 6. hujusmodi Concilii.

Istam doctissimorum animis offusam caliginem discutit Schelestrates, scribentium, Canonem istum quartum, utpote per invidiosam malitiam Arianorum sanctum, fuisse a Romanis Pontificibus Julio, & Innocentio primo rescissum & obliteratum in causis sanctorum Athanasii & Chrysostomi. Veruntamen Pontifices illi Canonem istum IV. non intenderunt abrogare, sed alterum, quem furtim apud Antiochiam, praesente Ariano Principe Constantio, Episcopi Ariani procederunt, postquam Orthodoxi Antifites sese a Concilio jam dirempto subduxerant. Iste vero quartus reliquique Antiocheni canones, ut supra commemoratum est artic. 3. in auctoritatem ab Ecclesia recepti sunt a sexcentis Patribus in Synodo Chalcedonensi, actione 4. adversus Carolum & Dorotheum monachos Eutychnianos, qui nitebantur Dioscorum Synodali judicio gradu motum restituere. Tunc Synodus Canonum selectorum librum, quibus Romana utebatur Ecclesia, profertur jussit, ex quo lectus est istidem verbis Canon iste Antiochenus, & a cunctis approbatus; secundum quem Carolum & Dorotheum declarati sunt ac denunciati excommunicati. En sexcenti Patres Canonem hunc ipsum non modo approbant, sed etiam per regulam, quam transilire non liceat, sibi proponunt. Praeterea Episcopi Pifidiae in sua ad Leonem Antiochenum ep. 4. eo utuntur adversus Timotheum Aelurum a Synodo Aegyptiaca sub Pretorio Alexandrino Episcopo depositum, & in pertinacia persistentem. Eundem pariter Canonem insinuant Episcopi Hauria contra supramemoratum Timotheum episc. ad Leonem Augustum 39. dicentes. *Nullus ei per Canones sanctorum*

*Patrum venia sermo relinquitur.* Horum plenam fidem facit Liberatus Diaconus in Breviario. Anno 534. rogatus a Caesario Arelateni Joannes Papa II. de causa Contumeliosi Episcopi, respondit ei episc. 4. servandum esse Canonem 4. Antiochenum, cujus ipsa verba profert. Ad haec vero scribit Caesarius: *Canones illos ad se transmisos a sanctis Sacerdotibus provenisse, qui hoc pro exemplo vel remedio Ecclesiarum suis definitionibus deliberaverunt.* Et addit: *Non posse, nec debere fieri, ut tantorum ac talium Sacerdotum Canones contemnerent, aliter quam illi staverint, observare vel agere praesumamus.* Denique octavo saeculo Adrianus I. Pontifex transmittit ad Carolum Magnum selectos Canones, quorum praesertim auctoritate Romana regebat Ecclesia. In his Canon 4. Antiochenus nominatim habetur. Ipseque Carolus religioso desiderio flagrans, ut his canonibus Gallicanae regerentur Ecclesiae, ipsos eosdem, & nominatim Antiochenum quartum in suo Capitulari inseruit. Possent alia pleraque adduci in confirmationem hujusmodi Canonis quarti argumenta, nisi haec satis abundeque sufficerent.

8. Can. V. *Si quis Presbyter vel Diaconus contempto suo Episcopo seipsum ab Ecclesia segregaverit, & privatim apud se collectis populis altare erigere ausus fuerit, & nihilominus, Episcopo se exhortante, & semel & iterum revocante, inobediens extiterit, hunc modis omnibus deponendum, nec aliquando consequi curacionem aut proprium honorem recipere speret. Quod si etiam perseveraverit conturbans & concitans Ecclesiam, per eam qua foris est potestatem, hunc tamquam seditiosum corripere oportet.*

Lectus est ad verbum Canon iste atque approbatus in Concilio Chalcedonensi actio 4. Canon iste primus occurrit eorum, qui recursum decernunt ab Ecclesia fieri ad potestatem & vim saecularem adversus contumaces, quos nequeunt Ecclesiastica poena in officio continere. Et antiquior altera Synodus Antiochena hujusmodi olim praestitit exemplum, recurrendo ad aethnicum Imperatorem Aurelianum, eoque brachium ac potestatem implorando, adversus pervicacem Paulum Samosatenum haeresarcham Antiochenis Ecclesiae Antistitem.

9. Can. VI. *Si quis a proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quam fuerit a proprio Episcopo susceptus, vel facta Synodo accedens se defendent, & persuasa Synodo aliam sententiam retulerit. Idem autem Decretum adversus laicos, & Presbyteros, & Diaconos, & eos qui sunt in Cleri catalogo, observetur.*

Habetur apud Gratianum cap. si quis a proprio Episcopo, 11. quaest. 7. hoc idem sanciverat Nicenus can. 5. cui conformis est Sardicenis can. 13. Nunc vero loco Synodi provocatio fit ad Metropolitanam aliamve superiorem sedem, c. per tuas litteras, §. nosignit de sentent. excom. & cap. venerabilibus, §. 1. eod. in 6.

10. Canon VII. *Nullus externus sine pacificis suscipiatur.*

De pacificis, seu formatis, seu commendatitiis litteris, vide Dissertationem 7. in saeculo secundo.

11. Can. IX. *Episcopus, qui sunt in unaquaque Provincia, scire oportet, Episcopum qui praesit Metropoli, etiam curam suscipere totius Provinciae: eo quod in Metropoli concurrunt omnes undequaque, qui habent negotia; unde visum est eam quoque honore precedere. Reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine illo, ut vult, qui ab initio obtinuit Patrum Canon: nisi haec sola, quae ad uniuscujusque Paroeciam conferunt, & administrare pro unicuique conveniente reverentia, & totius regionis curam gerere, quae suae urbi subest: ut etiam ordinem Presbyteros & Diaconos, & singula cum judicio tractent. Et nihil ultra facere aggrediantur sine Metropoli Episcopo: nec ipse sine reliquorum sententia.*

Habetur cap. per singulas Provincias, 9. q. 3. Privilegia ista Metropolitanorum sanciverat Niceni Patres cap. 4. 5. 6. 7. Paroecia vero tunc dicebatur, quae nunc Diocesis dici solet: cum olim Diocesis nomen tam in Ecclesiastico, quam civili usu, complures simul Provincias complecteretur. Obiter hic admonendus lector, erroneam esse hujus canonis editam a Gentiano Herveto translationem, ubi *ubi dicitur in verit, nihil vel, cum significat, nihil nisi, ut melius verterunt Dionysius & Mercator:* Huic canonis suffragatur Apostol. can. 35.

11. Nonus iste Canon tres commemorat Ecclesiasticae praefecturae gradus. 1. *ἐπαρχίας* sub Metropoli Prae-

sule. 2. *παροχίας* paroeciam sub provinciali seu suffraganeo Episcopo: sicut etiam in canone 17. Ancyano legitur, Episcopum, qui non suscipitur a propria paroecia non debere alterius Episcopi paroeciam invadere. 3. *χωρὰν* locum seu minus territorium: unde Chorepiscopi dicti locorum particularium intra paroeciam praefecti, quorum etiam interjecta mentio can. 10. hujus, in qua veramus, Synodi. Veruntamen istos omnes gradus longe antecelabat *ἐπίσκοπος*, Diocesis plures habens sub sua praefectura provincias, qualis erat singulorum Patriarcharum ditio: cujus vocis ac dignitatis usurpatio tum saepe in Chalcedonensi Concilio, tum etiam alibi mentio est. Voces porro *Parochus*, & *Parochia*, nullam habent apud praefatos auctores Ecclesiasticam significationem, sed ejus officium connotant, cui cura incumberebat suppeditandi hospitibus publicis res necessariae, horum origo est verbum *παρίχην*. At vero paroeciae etymon est *ἐκείνη*.

12. Canon X. *Qui in vicis & in pagis Chorepiscopi dicuntur, etiam si Episcopi ordinationem manusumve impositionem acceperint, & ut Episcopi consecrati fuerint, visum est: ut suum modum sciant & sibi subjectas Ecclesias administrarent, earumque cura & sollicitudine gerenda contenti sint. Constituant autem Lectores, Hypodiatonos, & Exorcistas; & eorum promotionem sibi sufficere existiment: nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant absque urbis Episcopo, cui subjiciuntur ipse & regio. Si quis autem ea quae definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque deponatur ab eo honore, quem habet. Fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo civitatis, cui subjicitur.*

De Chorepiscopis requirito superius observata ad canonem Ancyranum 13. Et ex isto Antiocheno haec adisce: 1. Chorepiscopum non esse Ordinis nomen, sicut est nomen Episcopi, sed tantum dependentis ab Episcopi arbitrio praefecturae Ecclesiasticae ad certum locum praefinitae ac limitatae. 2. Chorepiscoporum alios insigniti Ordine & caractere Episcopali, alios eo carere. 3. Nemini eorum, qui consecrationem Episcopalem susceperit, licere Clericos ordinare, nisi quatenus id ei Episcopus loci concesserit. 4. Sex apud Graecos praesentis canonis Ordines exprimi, tres minores, Lectorum, Hypodiatonorum, Exorcistarum: & tres majores, Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum.

13. Canon XI. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aliusque quilibet ex canone, circa sententiam & litteras Episcoporum provinciae, & maxime Metropolitanorum ad Imperatorem proficisci aggressus fuerit, is abdicetur & abjiciatur non solum a communione, sed etiam a dignitate, cujus est particeps: ut qui religiosissimi Imperatoris auribus molestiam asserere audeat praeter legem Ecclesiae. Si autem necessarius usus hoc exigat, ut ad Imperatorem se conferat, id agat cum deliberatione & consensu Metropolitanorum provinciae, & eorum qui sunt in ea, eorumque litteris munus iter invadat. Videto inferius de hac ipse Sardicenis can. 8. 9. 10. 11. 12.*

14. Canon XII. *Si quis a proprio Episcopo depositus Presbyter, vel Diaconus, aut etiam si aliquis Episcopus a Synodo fuerit exautoratus, & ausus fuerit Imperatoris auribus molestiam exhibere, cum oportet ad majorem Synodum converteri, & jus, quod habere se putat, ad plures Episcopos referre, eorumque examinationem & judicium suscipere; qui itaque his contemptis Imperatori molestus fuerit, is nulla venia dignus, neque defendendi sui locum habeat, nec restitutionis futura spem expectet.*

Canon isto tribus gravibus malis obviatur. Primum, ne persona Ecclesiastica saecularibus curis aut potentium obsequiis se addicat, & aulae gratiam aucupentur. Excitat ex aula, qui vult esse pius. Secundo, ne per hujusmodi personas Ecclesia cum aula committatur, & ferantur inter utramque potestatem diffensionem aut rixam, si contingat alteram alteri disconvenire. Praeclare utique scribit ad Marcianum Augustum Leo Magnus Romanus Pontifex: *Non sola assertione verborum, sed ipsis iam operum affectibus demonstratis, ad defensionem Catholicae fidei divinum in vobis vigere praesidium. Quo utique non solum Ecclesiae status, sed etiam vestri robur manit Imperii: ut merito ejus spectetis protectionem, cujus colitis veritatem.* Tertio demum, Ecclesia DEI, femotis humanis affectibus, & personarum respectu, sibi debita potius libertate tuenda sacrae disciplinae, quae alicui privatorum artibus & studiis facile collaberetur.

15. Canon XIII. *Nullum Episcopum audeere debere ex alia provincia ad aliam transfirum facere, & ordinare*

*aliquos in Ecclesiis, aut provehere ad sacrum ministerium: nec alios illuc secum attrahat Episcopus, nisi forte per litteras rogatus abierit, non solum a Metropolitano, sed & ab his qui cum eo sunt, omnibus provinciis Episcopis. Quod si nullo invitante ordinare superveniat, & aliquos vel ordinare praesumpserit, vel quoslibet actus illi Ecclesiae competentes, quae ad se minime pertinet, usurpare tentaverit, vacua quidem & inania erunt omnia quae gesserit, ipse vero hujus indiscipline ausus & irrationabilis capiti dignas causas expendat tamquam depositus a Synodo sancta, & propter hujusmodi praesumptionem jam praedamnatus.*

Profertur in Decreto, c. nullum Episcopum audeere, 9. qu. 2. Nihil in canonibus hac prohibitione frequentius. Id statuit Apostolorum canon 34. Hervetianae editionis seu 36. Dionysianae. Quin & haec ipsa Antiochena Synodus hoc iterum edicit can. 22. Item Constantinopolitana prima can. 2. & Arausiana prima can. 8. Atque (ut alia intermedia fileam Concilia) Tridentinum sess. 6. c. 5. de reform. sed & Nicenum primum hoc idem veterat can. 17.

XIV. Canon judicium de Episcopis criminum reis pertinere decrevit ad Synodum Provinciam. Sed si adeo divisa sunt Episcoporum suffragia, ut judicium certum ferri nequeat, decernit, ut a Metropolitanano advocetur ad hoc judicium de viciniorum Provincia Episcopi. Deinde Antiochenus can. 19. ubi iudicium suffragia non consentiunt, decernit praevallere plurimum sententias.

XX. Canon constituit, ut bis singulis annis conveniant Synodi Provinciales sub Metropolitanano: quam eandem rem plerique veteres canones edixerunt. Require superius observata ad Nicenae Synodi can. 5.

17. Canon XXIII. *Episcopo non licet pro se alterum sibi successorem constituere, licet ad exitum vitae perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi constitutum est. Servetur autem jus Ecclesiasticum id continens, oportere non aliter fieri nisi cum Synodo & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, eum qui dignus extiterit, promovendi.*

Refertur a Gratiano, 8. quaest. 1. cap. Episcopo non licere pro se. Alia huc pertinentia require in eadem quaest. 1. ad usque can. olim. Atque in primis adscriptus Apostolis can. 75. ita sancit: *Quod non oportet Episcopum fratri, vel filio, vel alii cognato gratificantem humana affectione ad Episcopatum dignitatem, quem vult, eligere: Episcopatus enim heredes facere justum non est, ea quae DEI sunt, largientem.* Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem maneat electio, ipse autem segregari ne mulsetur. Contigit sane in periculis Ecclesiae gravissimis, nec absque singulari Divini Spiritus motione, ut sanctissimi Ecclesiae Praefules ex hac vita discessuri quosdam sibi successores elegerint. Alexander ille divinus Alexandriae Episcopus horrendas praevidens ab Ariano in exitum Ecclesiae conspirantibus tragœdias excitandas, magnum illum Athanasium sibi successorem designavit, qui sanctissime Aegypti Ecclesiam gubernavit, & constantissime Arianorum procellas sex & quadraginta annos sustinuit; quo argumento & successu probat Epiphanius haeresi 68. ejus electionem ab Alexandro non sine divino afflatu processisse. Simili Dei nutu & inspirante numine, idem Athanasius sollicitus peregit, ut sibi post obitum Petrus subrogaretur, cui designationi omnis orthodoxus Clerus populi que suffragati sunt, ut perhibet Theodoritus lib. 4. cap. 18. Ab eodem divino Spiritu profecta est mirifica electio, quam Constantino-politanus Episcopus Alexander, vicina morte, de sanctissimo Sacerdote Paulo procuravit, ut Arianorum factiones praeveneret, a quibus post favissimas infectiones Paulus, qui successit, martyrii palmam retulit.

Memoriae succurrit alter non minus admirabilis Alexander, qui dum in Cappadocia esset Episcopus, inspiratus divinitus fuit, ut Ierosolymam sacra ibi veneraturus loca migraret: quo postquam accessit, caeleste numen Cleri populi que Ierosolymitani mentes impulit, ut Narcisso Episcopo admodum seni illum coadjutorem asciscerent, eique vita perfuncto successorem designarent. In unum convocati Palaestina Antifites ardentes populi desiderii annuere, tametsi duo sacri canones obstant; quorum uno prohibebantur Episcoporum in alias Ecclesias translationes: altero cavebatur, ne duo simul essent unius civitatis Episcopi, neve ullus viventi adhuc Episcopo designaretur successor. Divinum tamen consilium praevaleuit, coactusque fuit Alexander eo loco subsistere, & illius Ecclesiae regimen suscipere. Haec ab Eusebio referuntur lib. 6. cap. 11. ubi hoc superaddit epistolae Narcissi fragmentum: *Salutas vos Narcissus, qui ante me Episcopalem hujus Ecclesiae sedem*